



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 26. Dux ob petit audaciam omni spe frustratus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

pro tota Germania inferiore declaretur: Sæcul. XV. A.C. 1474.  
 hujus quoque honoris literæ publicæ  
 ut expedirentur, datum est Burgundo.

Jam vero tota rei summa hærebat in firmando connubio, quod Dux Imperatoris Filio obtulerat. Hujus etiam pacta eriguntur, atque signantur, Imperator quoque a Duce recipit tam de Geldriæ Ducatu, quam aliis Belgii ditionibus intra fines Imperii fitis solitum fidelitatis Sacramentum. Post hæc constituitur dies solemnibus nuptiis, ac coronationi sacrandæ, Duxque, ut ferunt, coronam, sceptrum, regias vestes, ceteraque omnia ad inaugurationem & pompam necessaria in promptu haberi jussit. Verum novæ gratiæ petitio obtentorum amplitudinem penitus evertit; liberius enim postulabat Burgundus, ut pariter Rex Romanorum salutaretur, caussatus, Imperatorem senio confectum esse: Filium vero ejus, ut ipsi succedere posset, legitimæ ætatis defectu prohiberi; æquius igitur fore, ut Imperialis corona caput Ducis prius ornaret, ac demum ab eo ad generum suum transiret.

## §. XXVI.

*Dux ob petiti audaciam omni spe  
 frustratus.*

Imperator audacioris petiti arrogantiam  
 H h 4 adeo

Sæcul. XV. adeo vehementer indignabatur, ut coa-  
A.C. 1474. Et Germanorum Principum conventu  
 eisdem significaret, quod Burgundiæ  
 Dux nimium obsequiosa eorum indulgen-  
 tia abuteretur, atque etiam Filix suæ pre-  
 tio Coronam Imperii mercari vellet, eam-  
 que contentiosius ambiret. Ad hæc com-  
 munis omnium erat sententia, Ducem in  
 temeritatis poenam, non solum corona-  
 tionis honore frustrandum, sed etiam  
 eum nullo dato responso dimittendum  
 esse. Imperator horum consilium secu-  
 tus, altera die summo mane discessit,  
 Duce nequidem salutato, aut valere jussu;  
 eodem momento omnes Germani, qui  
 cum Cæsare Treviros venerant, raptim  
 vasa colligebant, & abeuntem comita-  
 bantur, simulque tam præcipitis discessus  
 causam obtendebant, quod de seditione  
 Coloniae suscitata nuntium acceperant,  
 dicebant igitur, quod recens nato prom-  
 ptum adhibere remedium necessitas ur-  
 geret.

## §. XXVII.

*Duo Competitores Coloniensis  
 Archiepiscopatus.*

Hujus seditionis originem recensere  
 oportet. Igitur duo Principes Co-  
 loniensem Ecclesiam sibi vendicare con-  
 tendebant, quorum hic ex Hassiæ Land-  
 graviorum, alter ex Comitum Palatinorum  
 Rhemi